

Hermann von der Hardt (ed.), *Magnum oecumenicum Constantiense Concilium*,
vol. 1 (Frankfurt and Leipzig, 1696), col. 1126-71.

[col. 1126-7]

Richardi Ullerstoni theologi Angli in Academia Oxoniensi professoris,
Concilii Pisani ac Constantiensis aetate clarissimi
Petitiones Quoad Reformationem Ecclesiae Militantis

Ex antiquissimo codice manuscripto Anglicane
bibliothecae Academiae Cantabrigiensis

Praefatio ad Robertum, Sarisberiensem episcopum.

Reverendo in Christo patri ac domino suo Roberto, Sarum episcopo, suus supplex orator et servus, et ad familiaritatem acceptatus, Richardus Ullerston, sacrae paginae professor minimus, reverentias et honores debitos tanto patri.

Venerandissime pater. Quia a tempore iam transacto perpendens zelum vestrum non remissum, sed praegrandem ad ecclesiae unitatem, sciens iterum, quod ex voto vestro erat, quod exilitas mea inter ceteros ad unitatem ecclesiae contententes aliquid operis impertiret, quatenus cum vidua pauperula minutum offerens, laudem reportem. Pro voto de quanto locupletiores in Scripturis ex per me oblati sint ad proficiendum in ista materia animati. Hinc est, quod in hac materia quaedam scribere destinavi, quibus effectualiter executis, crederem certe per Dei gratiam, quod ecclesia iam vacillans esset ad stabilem unitatem reformata.

Unde et sub ista figura mihi videtur procedendum, videlicet quod, concionatoris more, in persona ecclesiae Anglicanae, seu potius universalis ecclesiae, proponam, quae mihi videntur proponenda, tanquam in medium me provincialiter exponerem coram concilio generali.

Quapropter et 16. articulos mihi proposui tangendos, per modum petitionum, generali concilio dirigendos, rationes, quare debeant impleri, subnectens, canonica autoritate, ut aestimo, roboratas. Quatenus, non habito respectu ad petentem, sed ad ecclesiae, cuius formam induo, rationem, rationi pareant, quae eius veritati innititur, qui non potest fallere neque falli, executionique demandare satagant, quae tam vivax ratio postulaverit, iuxta votum scribentis, imo potius iuxta nutum Spiritus ad scribendum impellentis, quatenus per hoc ecclesia iam militans ad solidam unitatem reformetur.

Verum, quia non procerto constat, quid vel ecclesia universalis vel Anglicana, quoad per me petenda, definiet. Hinc est, quod, si visus fuerit dominationi vestrae, censui praesens opusculum taliter nominandum: Petitiones Richardi Quoad Reformationem Ecclesiae Militantis.

In quibus quidem petitionibus sic procedam, scilicet quod primus articulus erit de summi pontificis ordinata electione.

Secundus erit de simoniae declinatione.

Tertius vero erit de legis Christi exaltatione.

Sed quartus erit contra anormalam ecclesiarum appropriationem.

Et quintus, propter idoneorum praefectionem.

Sextus, contra exemptiones

Septimus, contra dispensationes.

Octavus, contra beneficiorum pluralitatem

Nonus, contra appellationes. **[col. 1128-9]**

Decimus, contra privilegiorum abusiones.
Undecimus, contra apostasiam clerorum, sese secularibus negotiis immiscentium.
Duodecimus, contra praerogativam cantorum et officialium in curiis dominorum residentium.
Tertiusdecimus, contra extorsiones universaliter.
Quartusdecimus, erit contra superfluum et nimis sumtuosum et inordinatum apparatus in clericis et eorum familia.
Quintusdecimus erit pro cultu divino fructuosius ampliando.
Et sextusdecimus erit pro pace inter regna Christiana summo opere procuranda.

Introductio Articulorum

Petitionem unam parvulam ego deprecor a te. 3. Regum, 2. capitulo.

Reverendi in Christo patres et domini:

Quemadmodum post missionem Spiritus Sancti multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Ita reor utique pro praesenti, scilicet quod multitudinis ad praesens concilium confluentis, imo potius a Spiritu Sancto ad hoc verisimiliter destinatae, sit cor unum, anima una, propositum unum, operaque et sollicitudo una, ad providendum videlicet sanctae matri ecclesiae tanto tempore scissae, nec non et miserabiliter laceratae, pastorem unum, caput unum, rectorem unum.

Congruum igitur mihi videtur, iuxta modum loquendi scripturis creberrimum, vos omnes per modum unius personae mysticae alloqui, proponendo. Unde, cum iustum erit et honestum quod proponam per Dei gratiam, ante omnia humillime petitionem unam parvulam ego deprecor a te.

Et rationabiliter quidem debet mea petitio exaudiri. Scribitur enim taliter in chronicis gentis nostrae, Beda, libro 1. capitulo 25 et Henricus Huntingdon, libro 3., quod cum beatus Augustinus cum aliis legatis a curia Romana per beatum Gregorium missus erat in Angliam ad convertendum gentem nostram, videns rex, quod bono animo venerant et pro salute regni, ut dicebant, eos humanissime acceptavit, sic eis inquires: Quia de longe huc peregrini venistis et, ut ego mihi videor perspexisse, ea quae vera vos et optima credebatis, nobis quoque communicare desiderastis: Nolumus molesti esse vobis, quin potius vos benigno hospitio recipere curamus, et quae vestro victui sunt necessaria, ministrare.

Conformiter, reverendissimi patres et domini, cum vicem peregrinationis reddidimus tanquam humiles filii piaae matri, pensato voto nostro, nec non et desiderio ad salutem matris nostrae, accepta erit benevolentia, licet praeter intentum surrepat ut cunque ignorantia.

Noli ergo, quaeso, praesens coetus venerande, mihi molestus esse, si petam. Nam, quod maxime optas, petam; nec multa quidem, quia petitionem unam; nec iterum magnam, quia parvulam. Et revera nullatenus ab impotente quia a te, in quo, prout res se manifestat, in praesenti residet plena potestas ecclesiae.

Et hinc profecto audenter, quamvis cum reverentia et timore, ut ab initio proposui, petitionem unam parvulam ego deprecor a te. Quamvis enim petitio, quam proponam, multa membra multosque articulos, prout in explicatione patebit, comprehendat. Una est tamen simpliciter, et non plures. Una siquidem quia tantum propter unitatem ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum, tam in capite quam in membris.

Et primum quidem, iuxta ordinem procedendi, propter capitis unitatem. Ad quam profecto consequendam, deducta etiam autoritate legum humanarum omnimoda, invitat tota naturae series philosophorumque summa. Quod etiam potest et non incongrue a multiplici evidentia persuaderi.

Tum propter pacis tranquillitatem quae verisimilius per unum rectorem quam multos poterit debite procurari.

Tum propter potentiam unitam quae est utique fortior quam dispersa.

Tum propter similitudinem corporis animalis, [col. 1130-1] a cuius corde procedit ad membra singula totalis virtus regitiva.

Ac insuper, considerando conditionem perfecte mixtorum, videlicet quod impossibile est aliquod horum permanere, nisi unum se habeat in praedominio quoad alia.

Ac etiam, quod forma ultima ceteras contineat, reponatque in specie et distinguat.

Verum, ut altius ordiamur, nedum ad hoc nos alliciunt volatilia gregalia, quemadmodum sunt grues et apes, quae naturali instinctu unum praeficiunt sibi ducem.

Quin incomparabiliter magis primum mobile ceterorum mobilium regitivum.

Et maxime super omnia ipse motor primus, quem tantum unicum oportet esse, quemadmodum princeps philosophorum Aristoteles 12. suae Metaphysicae demonstravit.

Et igitur non sine causa Dominus in coena sua novissima ante mortem, suis discipulis valem faciens, prae caeteris rogavit Patrem, ut sint unum, et quatenus consummati sint in unum, prae omnibus praeponderans unitatem.

Unde cum supportatione huius congregationis venerabilissimae in petitione mea intendo istum praemissum ordinem observare. Primum, quoad electionem summi pontificis, quem speramus in proximo affuturum, inchoando.

Articulus 1: De summi pontificis ordinata electione.

Petimus igitur imprimis, quatenus talis eligatur ad huiusmodi pontificatus officium, qui, quantum hominibus possit ex sensibili evidentia apparere, prius fuisset a Domino ad hoc ordinatus et electus, merito peritiae legis Christi, ac morum singulari probitate.

Exemplum ad hoc assumentes ex facto apostolorum in electione Matthiae, de qua Actuum 2. scribitur, quod orabant Dominum, qui corda novit hominum, quatenus ostenderet, quem eligerent. In hoc profecto significantes, quod nunquam est electio alicuius tuta, cui non praesupponitur divina electio tanquam basis. Et nimirum, quoniam, ut ipsemet Dominus dicit suis: Sine me nihil potestis facere, supple, laudabile. Nec est mirabile hoc quod dicimus. Praesertim, cum Filius non potest quicquam facere, nisi quod viderit Patrem prius facientem. Ipsomet hoc testante.

Et istud utique attenderent, qui, exequendo vices Christi, quicquam faciunt, scientes indubie, quod non est eis potestas concessa, etiam ad minimum, contra definitionem consilii benedictissimae Trinitatis. Ideoque et quisquis talis fuerit, nihil est penitus, quod attentat, nisi per instinctum Spiritus sancti in suo opere dirigatur.

Signanter ergo dictum est Moysi, et recitat Apostolus ad Hebraeos: Omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte a Domino monstratum est.

Et ex isto certe sequuntur non pauca, quae pro praesenti exprimere temporis brevitatis non permittit. Sed unum inter cetera est notandum, quod oportet summum pontificem esse in lege Christi peritissimum.

Praecipue, cum secundum artem huius legis ducere oportet populum Domini per procellas fortissimas in mari huius mundi remigando. Sicut patet in epistola Clementis ad Iacobum, Ierosolymorum episcopum, de exhortatione Petri ad Clementem, postquam ipsum instituerat in papatum. Ubi post multa sic concludit: Propter quod, inquit, O clemens, qui in omnibus praeesse te noveris, singulos, prout potueris, iuva, et singulos releva, qui et singulorum onus et sollicitudinem portas. Quomodo, inquit, artis nauticae inexpertus naucleri officium usurparet?

Et quis, quaeso, universarum navium architectorem institueret, nisi industriosissimum in hac arte. Et quis, putas, huiusmodi sollicitudinem assumeret, ubi est tanta marium varietas, tot discrimina insperata, tot pericula indies imminetia, nisi a signis probabilibus, [col. 1132-3] et si fas est dicere, infallibilibus, nisi prae singulis mortalibus a verisimili habuerit industriam singularem? Indubie nullus, nisi insanissimus et suae salutis summe immemor.

Praesertim cum pro omnibus et singulis suae curae subjectis oportet reddere summo iudici districtissimam rationem.

Et quanta, rogo, est ista multitudo, pro qua oportet respondere? Succincte tibi respondeo: non pro paucioribus adaequate, quam pro omnibus et singulis, pro tempore suo viventibus, sive fideles fuerint, sive etiam infideles.

Istos namque tenetur, sub poena damnationis, prout vires suppetunt, ad fidem convertere, iuxta illud Sapientis 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem peccati, supple, per infidelitatem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.

Et si dixeris: Vires non suppetunt: Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animae tuae nihil fallit.

Illos autem, fideles scilicet, debet in fide et bonis operibus confirmare, iuxta Christi praeceptum dictum Petro, Lucae 22. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Sed quantum, putas, est opus istud, quam gravis huius obligatio? Praesertim cum, ut dixit peritissimus Philosophus 6. Politicorum suorum, infinitam multitudinem est impossibile regulare.

Videntes igitur antiqui patres praecedentes, quam ardua quamque periculosa erat pontificalis praefectura. Quamvis tam a clero quam etiam a populo electi fuerant, fugerunt. Sicut patet de Gregorio Nazianzeno, qui fugerat in desertum, ut ex suo apologetico plane liquet: De beato Gregorio, urbis Romae antistite, infinitisque aliis, quorum nomina scripta sunt in coelis.

De quibus meminit beatus Augustinus epistola 54. ad Donatum presbyterum, et ponitur in Canone 23. questione 4. Displicet, ubi beatus Augustinus per locum a maiori probat, quod aliquis potest compelli, ne faciat malum, per hoc, quod potest compelli ad bonum. Unde ad propositum sic scribit: Attende, quid dixerit Apostolus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Tamen tam multi ut episcopatum accipiant, inviti producuntur, includuntur, patiuntur, tantaque nolunt, donec eis assit voluntas suscipiendi operis boni.

Et ideo certe bene dixit beatus Petrus, secundum quod recitat eum beatus Clemens in epistola sua ad Iacobum Ierosolymorum episcopum, qui postquam procidit ad pedes eius, rogans eum et excusans, ne acciperet dignitatem apostolicam; respondit Petrus: Pro hoc ne me rogaveris. Hoc enim fieri statutum est mihi. Et eo magis quo excusas. Quia haec cathedra qui cupit eam et audacter expetit, non requirit, sed ornatum moribus et in verbis eruditum. Quod si esset alius melior, si quis mihi alius adjutor tam sedulus astitisset, si quis tam plane doctrinae meae rationem cepisset, habens illum talem, non te cogere bonum opus suscipere nolentem. Haec Petrus, ut recitat eum beatus Clemens, ubi supra.

Ex istis habes manifeste, qualem oportet praeficere ad summum pontificatus apicem: Quia non appetentem, sed nolentem, non sese ingerentem, sed potius renitentem, ornatissimum in moribus, ac Evangelicae doctrinae habens promptissimam rationem.

Et ista sententia in summa potest colligi ex beato Dionysio in De Ecclesiastica Hierarchia capitulo 2. particula secunda, ubi ad propositum ita ait: Debet, inquit, hierarcha semper evangelium Christi et ea quae in carne gessit et passus est, praedicare, ex amore salutis, volens omnes homines salvos fieri, sicut Christus.

Et infra capitulo 3. eiusdem, particula 16. Postquam comparaverat sacerdotem soli, et ostendit, sacerdotem, ducem aliorum in divinis, secundum sui totalitatem divinas illuminationes suscipere et eas subiectis influere, finaliter sic concludit, sub his verbis: Nec, inquit, aliter audendum fieri ducem aliorum, in divinis, nisi secundum sui totalitatem suscipiat et influat divinas irradiationes in subiectorum totalitates.

Et concordat Canon, distinctione 38. capitulo Omnes psallentes, ubi quaestionarie ponitur, quod episcopari volens debet perfecte scire omnem divinam scripturam, atque secundum [col. 1134-5] illam docere populum sibi commissum; quod si recusaverit, nullatenus debet consecrari.

Si igitur iam dicta habeant locum in simplicibus Episcopis, quanto magis in eo, qui est omnium Archirector?

Nec ex praedictis debet aliquis aestimare, quod nolumus aliquem praefici in papatum. Praesertim cum isti, de quibus supra, habitis signis evidentibus divini beneplaciti in hac parte, summamque necessitatem, populi perurgentem advertentes, cum timore et tremore sub spe divinae assistentiae, onera supro memorata subierunt.

Totalem namque sententiam omnium praemissorum punctualiter declarat beatus Dionysius, capitulo quinto Ecclesiasticae Hierarchiae, ubi declarat quod praeficiens aliquem in hierarchiam nequaquam motu proprio debet procedere, sed oportet quod sit a Deo motus ad omnes hierarchicas actiones.

Et exemplificat de Moyse. Qui nec Aaronem fratrem suum perduxit ad sacerdotii dignitatem. Haud enim ipso gradu dignum existimavit, quousque divinitus ad hoc motus erat ab ipso Domino, principe sacerdotum. Et tunc primum, secundum potestatem hierarchicam divinitus sibi datam, sacerdotalem perfectionem hierarchice consummavit.

Et iterum declarat istud idem, inducens exemplum de Domino nostro Iesu Christo, qui est princeps pastorum et episcopus animarum nostrarum, ut vult Petrus. Qui non glorificavit se ipsum, ut pontifex fieret, ut dicit scriptura, sed qui locutus est ad ipsum: Tu es sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedech.

Propter quod, dicit Dionysius, et ipse Christus, ad sacerdotalem perfectionem ducens discipulos, quamvis existens ut Deus omniumque perfectionum princeps, refert omnia ad omnino sanctissimum ipsum Patrem et Spiritum sanctum, ex quo secundum hominem omnia habuit.

Consummativam perfectionem quoque consequenter declarat ex dicto Christi, qui suis discipulis praecepit, ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis a me, quoniam vos baptizabimini in Spiritu Sancto.

Hoc idem declarat continenter ex facto Petri. Et quidem, inquit, ipse discipulorum verticalis cum coordinata sibi decade, ut perficeret apostolorum duodenarium, unum per electionem loco Iudae subrogando, non audebat aliquem in numerum apostolorum assumere, nisi divino oraculo praeostenso, dicens: Quem eligam? Et ita, ut dicit continenter, illa sors, de qua scriptura divina meminit, sibi non veidtur fuisse aliud, quam aliquod donum divinitus datum, quo ostendebatur illis in Christo congregatis, quem Dominus elegisset.

Ex omnibus istis concludit finaliter sub his verbis: Quoniam divinum hierarcham non proprio motu oportet sacras facere perfectiones, sed a Deo movente, has hierarchice et coelitus perficiente.

Ex praedictis patet, quod, sicut Petrus non fuisset a Christo electus, ut eius vicarius, nisi ad exequendum ea, quae ipsemet inchoarat, et ut pariformiter se haberet ad magistrum suum Christum, praedicando videlicet et docendo, et necessitatibus proximorum subveniendo. Ita nec Petrus Clementem sibi subrogavit, nisi quia aptiorem eum vidit ad perficiendum, quae Dominus Iesus inchoavit et perficienda dereliquit.

Voluit igitur benedictus Dominus noster Iesus Christus, quod apostoli et eorum successores non solum sibi testes essent per praedicationem evangelii in Ierusalem, Iudaea sive Samaria, sed etiam usque ad ultimum terrae. Unde sicut Petrus praedicavit primitus in Iudaea, deinde in Antiochia Syriae, et sic demum procedendo versus occidentem, Romae, ubi a verisimili poterat plures lucrifacere; Ita et successor Petri debet facere.

Et aliter indubie, nisi fuerit ad hoc idoneus, apposueritque diligentiam pro viribus, ad exequendum conversionem infidelium, et ad conversos in sanctitate stabiliendum, sciat, se pro certo nunquam fuisse vicarium Petri neque Christi. Nisi fortassis, sicut Archites erat miles. [col. 1136-7] De quo ridiculose ita canit Poeta: Archites numerum non vires auxit Achivis. Vel forte ab exigentia demeritorum ipsius populi, qui meliores praepositos non promeruit, iuxta illud Iobi 34. ubi dicitur, quod Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Sed revera, ut ait sapiens Ecclesiastes capitulo 10: Vae terrae, cuius rex puer est, supple, in effectum. Quia, ut alibi dicit scriptura, maledictus est omnis talis, etiamsi fuerit centenarius.

Et igitur Petrus, quamvis princeps apostolarum, erat, et ex Christi iniuncto et professione fuerat eius imitator, volens omnes homines salvos fieri, sicut Christus: Quia tamen peculiariter erat ordinatus apostolus circumcisionis, ut patet Galatos 2., hoc inter cetera non omisit. Unde et eis scripsit duas epistolas. Quare plane patet, quod unicuique plene Petri successor esset peculiaris cura de Iudaeis. Unde et quicumque successor Petri fuerit, qui non ad hoc efficaciter laboraverit, demonstrat, oculata fide se minime intelligere, quid est esse Petri successorem.

Et qui non dat operam praedicationi conversionique infidelium, nedum per se ipsos sed per alios, quos ad hoc reperire potest aptiores: Nunquam ostendit se veri nominis principem pastorem Iesu Christi, sed potius, ut ait Propheta: Pastorem et idolum.

Et igitur, domini mei reverendissimi, eligite talem ad regimen totius orbis, qui, ut praefertur, habeat insignia memorata, qui videlicet versimiliter Dei iudicio sit electus, qui et intelligat, quid sit officii sui, et qui in plenissimo voto habeat exequi, quae ad eum pertinent, de quanto vires suppetunt et facultas subministrat.

Articulus 2: De simoniae declinatione.

Verum quia, ut probabiliter creditur, simonia maledicta erat praecipua causa huius schismatis: Petimus, ut, si possibile est, quatenus radicitus de medio evellatur, exemplo beati Petri, qui primordiis simoniae obstitit in suo autore Simone mago, pecuniam pro sacris offerente. Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem. Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Qui etiam usque ad mortem malitiam Simonis persecutus est. Unde et ex hac causa passus est martyrium sub Nerone.

Quod quidem negotium ut facilius executioni demandetur: Petimus, ut nunquam, contemplatione provisionis alicuius personae alicui ecclesiae, pretium solvatur, nec etiam unus quadrans. Quatenus ab effectu verificetur Christi mandatum indispensabile: Gratis accepistis,

gratis date. Et quod ita fieri debeat, docet mandatum Christi memoratum, etiam indispensabile quoad Deum, quodque plus ligat Christianos, quam quaelibet alia iura per homines adinventata.

Consilium etiam apostoli, exhortantis, quatenus ab omni specie malinos abstinemus, ad hoc facit. Et patet solidius intuenti, quod sic dare non solum mali habet speciem, sed etiam est in se malum, nedum quia prohibitum, sed prohibitum quia malum.

Sic enim dare pro dono Dei spirituali, est indubie haeresis practica.

Sed aestimare, quod licite possit donum huiusmodi interventu pecuniae obtineri, est haeresis speculativa, formalem rationem habens haeresis. Sic enim credere est expresse credere contra determinationem totius curiae tam coelestis quam terrestris.

Ad amputandum igitur ex toto occasionem huius maledictae pestis, etiam et hac in gente nostra, decrevit Sanctus Gregorius, conversor gentis nostrae, quod duo Metropolitanus nostri singulos Episcopos Britanniae ordinarent. Sicut patet 11. libro Registri sui.

Cuius votum volens ex integro perficere eius successor Honorius, Paulino Eboracense Honorium Cantuariensem sive Londoniensem ordinante, misit pallium, et literas de ordinatione utriusque Episcopatus, quarum haec est forma: Dilectissimo fratri Honorio. Et iterum: Quae rursus pro ecclesiarum vestrarum privilegiis [col. 1138-9] congruere posse conspicimus, non desistimus impertire. Et tam iuxta petitionem vestram, quam filiorum nostrorum regum, vobis, nostra praesenti praeceptione, vice beati Petri, apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad se iusserit gratia revocari, is qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singulis nostrae dilectionis pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus. Ut per nostrae praeceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere. Quia, ut haec vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quae inter nos ac vos obsistunt, ad hoc nos tantum condescendere coegerunt, ut nulla possit ecclesiarum vestrarum iactura per cuiuslibet occasionis obtentum quoquo modo provenire, sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Haec in nostris chronicis Anglicanis.

Et istud revera si esset ubique terrarum observatum, a Curia Romani pontificis simonia verisimiliter exularet.

Quod si non evenerit, redibit morbus, praesupposita eius causa, et verificabitur quod in Apocalypsi scribitur, scilicet, quod cecidit Babylon, mater magna fornicationum et abominationum terrae. Et causa ibidem redditur, cum subinfertur: Quia mercatores tui erant principes terrae, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

Quantum autem ad ea, quae possunt in contrarium obiici, non vertitur nobis in dubium, quod non sunt digna memoria, sed quod prima fonte foetent. Et spero, Deo duce, parati erimus respondere ad ea, quae possunt obiici in contrarium.

Quam gloriosa, inquam, esset ecclesia, si, manus suas excutiens ab omni munere, posset vere dicere cum Apostolo Actuum 20.: Argentum aut aurum ac vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis.

Et rursus, quod univique pro muneribus divinis munera offerenti posset ex voto dicere cum Abraham: Leve manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem coeli et terrae, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus, quae tua sunt.

Et iterum, quod quilibet praepositus in ecclesia querulantibus subditis possit vere coram Domino cum Moyse confiteri: Tu scis, quod nec asellum quidem acceperim unquam ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

Et demum, quod termino vitae imminente posset audacter cum Samuele subditos alloqui, sicut ille, qui, sicut legitur primo Regum 12. ita dixit: Loquimini ad me coram Domino et coram

Christo eius, utrum bovem cuiusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, et contemnam illud, hodieque restituum vobis.

Ista pro tanto dixerim, pro eo, quod nulla gens sub coelo fidelis est adeo notata de execranda et insatiabili avaritia, quemadmodum est Romana Curia. Adeo quod ubique terrarum in vulgatum proverbium vertitur, videlicet, quod Curia Romana non quaerit ovem sine lana.

Articulus 3: De legis Christi exaltatione.

Iterum petimus, quod Christi vicarius hic in terris nullam aliam legem tantum reputet, tantum exaltet, tantum promoveat, quemadmodum legem Christi.

Patet huius petitionis rationabilitas, per hoc, quod aliter ipse non esset verus Christi vicarius, nec etiam Christus optimus legislator. Quod profecto audire abhorrent omnium Christianorum aures.

Christus enim non praefecit Petrum, ut autoritas evangelii sui esse desineret, aut quod legem maioris autoritatis statueret, aut quod eius eangelium in minore honore esset per aliqua facta successorum, quam ab initio promulgatum eis fuerat.

Ex quo sequitur, quod dominus papa quisque ad hunc finem laboraret, quod magis timerent Christiani evangelii [col. 1140-1] transgressionem, quam cuiuslibet alterius ordinationis seu statuti.

Cuius oppositum tamdiu experti sunt Christiani, quod modo, si contingat de legibus loqui, statim de legibus humanis intelligimus, et nequaquam de Evangelio. Quod certe modo in Ecclesia non plus reputatur pro lege, quam versus Catonis aut Senecae Proverbia. Nisi forte hoc solum dictum Petro et suis successoribus: Quodcunque ligaveris super terram et cetera. Quod utinam quidem crebro allegantes, non tamen ex toto intelligentes, non allegarent in contumeliam legis Christi.

Adeo quidem processum est, quod deventum est modo ad veritatem vaticinii Esaiae: Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis.

Et sic non magis mirandum quam dolendum est. Praesertim, cum, ut capit a Scriptura venerabilissimus Parisiensis, in De fide et legibus, in prologo primi libri: Soli legi veritatis, quae est lex Evangelica, convenit nomen legis. Et prout declarat 4. capitulo secundi libri: Nulla lex est simpliciter et vere lex, praeter illam. Omnesque aliae leges solum secundum quid sortiuntur nomen legis.

Pro isto siquidem quamvis infinita possunt adduci tam ex legibus divinis quam humanis, quam etiam omnibus piis scriptoribus, qui omnes unanimiter proclamant extollentiam legis Christi supra omnia iura alia, invitant pariter ad eius studium, praerogativamque et incomparabilem honorificentiam ei remittunt. Quemadmodum Baptista pro suo tempore fecit. Et Paulus et Barnabas, sicut legitur Actuum 14. divinum honorem eis indebite impensum repulerunt.

Et ita, ut in summa loquamur, maior defectus huius videtur esse in eo, qui debet esse eius principalis vicarius, summo videlicet pontifice. Cui maxime congruit esse peritissimum in hac lege. Tum quia, ut iura sua volunt, et rationabiliter, quod maiores causae, puta de fidei articulis, et aliis rebus magnis, sunt ad suam sedem referendae. Sicut patet ex Decretalibus libro 3. titulo 42. de baptismo et eius effectu, capitulo 3. Maiores. Tum etiam, quia aliter non esset Domini sui fidelis vicarius neque prudens.

Si quid ergo in praemissis negligenter est omissum, imo si prohibitum, sicut constat, a modo et usque in seculum cum summa diligentia suppleatur. Et revera tunc dilatabitur fides catholica, sicut olim.

Articulus 4: Contra anormalam ecclesiarum appropriationem.

Rursum videntes discrimina multimoda, quae ex appropriatione ecclesiarum parochialium sunt secuta. Petimus ex parte Dei Patris omnipotentis, quod non solum a modo et usque in aeternum praefigatur terminus in ecclesiarum appropriatione. Verum etiam, quod, visis appropriationum motivis diligenter per praelatos, clericos et alios regnorum peritos, si videantur evidendae non sufficere, ut puta, quia invalidae, aut alias suggesta falsitate, seu tacita veritate, quae foret in huiusmodi appropriationibus necessario exprimenda, aut quod vergerent in detrimentum ecclesiae. De quotquot esset taliter iudicatum per regni incolas, quorum in huiusmodi est melius et fidelius iudicare, tot eo ipso essent simpliciter deappropriatae, sicut ab initio, redeunte collatione ad patronos.

Huius siquidem petitionis rationabilitas ex hoc evidet, quod per huiusmodi appropriationes parochiani bonis curatis fraudantur pariter et doctrina, fraudatur et eleemosyna, extenuantur beneficia nimis ex uno latere, cultus divinus sensibilibus detrahitur, et ut plurimum recompensa sensibilis non perpenditur. Innumera etiam mala et nimis grandia, quae nimis longum esset percurrere, ex huiusmodi appropriationibus sunt secuta. Quae utrobique experitur ecclesia, sed maxime Anglicana.

Est igitur verum de sententia nostri [col. 1142-3] Lincolnensis in propositione sua coram papa, quae sic incipit: Dominus noster Iesus Christus, ubi enumerans 24. mala, quae sunt radix, origo et seminarium omnimodorum malorum, quae communiter inter Christianos accidunt, finaliter et verissime ad propositum sic concludit: Unde, inquit, cum religiosis fit ecclesiarum parochialium appropriatio, praetactorum malorum firmata est perpetuatio.

Et cum huiusmodi appropriandi modus, seu verius deordinatio, tam evidenter vergat in ecclesiae destructionem, et nullatenus in eius aedificationem. Patet, quod nec etiam angelus de coelo ad hoc habet potestatem. Nisi forte fuerit aliquis de ruentibus, aut maledictum eius membrum. Quemadmodum Satan habuit potestatem laedendi Iob, in facultate, in carne, et in filiis. Sed ab huiusmodi potestate liberet nos Dominus, qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri, si volumus.

Reducantur ergo vasa transmirationis, et fiat nova Ierusalem, et redeat aureum seculum, sicut fuerat ab initio institutum.

Articulus 5: De idoneorum praefectione.

Petimus insuper, quod in singulis officiis ecclesiasticis, solum ad haec actualiter idonei ordinenter.

Quod autem haec petitio sit rationalibilis atque iusta, non oportet probare, nec rationes ad hoc adducere, nisi forte propter protervos et perversos.

Quis enim ab initio seculi suum constituit relatores seu referendarios aliquem simpliciter mutum? Aut quis simpliciter claudum suum statuit cursorem? Aut quis paralyticum, manus erigere non potentem, suum voluit esse propugnatores? Aut quis navalis artis simpliciter inexpertum, aut medicinae, ad harum operam ordinaret? Revera audenter affirmare valemus, quod nullus, nisi forte insensatus?

Et hoc est, quod scribit Dominus Lincolniensis epistola 27. thesaurario Exoniensi, penes eum instanti pro promotione cuiusdam iuenculi, sub his verbis: Hoc igitur vestrae dilectioni et dicto puero et animabus, quibus velletis eum praefici, non admittendo eundem ad curam pastorem, praestamus, quod medicus praestat febricitanti, dum ferventi febrili calore denegat haustum aquae frigidae, et quod praestaret aliquis paralytico, dum denegaret ei gubernaculum navis in procella tempestuosi maris. Et quod sublevans a lapsu praestaret seipsum praecipitare volenti.

Eandemque sententiam scribit cuidam cardinali, epistola 53. eam per multa declarans exempla.

Et quia posset aliquis dicere, quod quamplures, qui actualiter sunt inidonei, ad idoneitatem possent crescere: Hoc ibidem removet, ita scribens: Nullus, inquit, sapiens paterfamilias vitulos iungit ad aratrum, licet speret, vitulos proficere in robur boum. Quia forsitan et eo ipso vitulos opprimeret, ne unquam ad robur boum pervenirent. Non enim debilibus imponuntur onera gravia, licet valentibus ad fortitudinem crescere: Ne sub onerum succumbant gravitate. Si hoc non fecerit, ubi tamen non imminet nisi corporale periculum: quomodo praesumeret nostra timida pusillanimitas, consimilia facere, ubi imminet periculum tanto gravius, quanto spiritualia sunt maiora et meliora corporalibus? Haec ille.

Ex isto sequuntur multa, consideratione digna, ex quibus aliqua in medium deducemus.

Unum est, quod nullus, si non contra iura, in archidiaconum debet promoveri, nisi sciret de facto praedicare. Istud sic liquet. In qualibet visitacione est primirtus verbum Dei proponendum. Sicut patet libro 6. Decretalium libro 3, titulo 20: De censibus et exactionibus, capitulo 1. Romana.

Ex isto sequitur corollarie, quod nullus esset episcopus, archidiaconus vel curatus in aliqua terra, nisi sciret linguam illius gentis, aut aptaret se ad sciendum, aut aliter praedicaret ibi per interpretem. **[col. 1144-5]**

Ex quo sequitur, quod carentes istis, habentesque votum ad contrarium, reddunt se inhabiles ad praemissa officia, divino iudicio et humano.

Ex quo videtur oculata fide, quod omnes nostri nullatenses sunt in capitulo maledicti.

Sequitur etiam istud generaliter de omnibus illis qui frustrant piam intentionem fundatorum, ordinantium et instituentium pia exercitia in ecclesia. Nisi et ipsa in magis pia simpliciter commutent, quod visum est rarius evenire.

Verum, ut in quibusdam exempla ponamus, quaedam praebendae sunt pene in singulis ecclesiis cathedralibus assignatae pro legentibus in theologia, quaedam ad finem, quod ipsas habentes per partes praedicent, ubi beneficia illa vigent. Quae nostris temporibus in terra nostra conferri vidimus talium exercitiorum ignaris, imo, quod maius est, habentibus votum in contrarium.

Et ut in summa dicamus, infinita utilia ecclesiae possunt ex nostra iam petitione elici.

Articulus 6: Contra exemptiones.

Iterum petimus, quod exemptiones capitulorum, religionum, monasteriorum, aliarumque personarum vagarum a suis dioecesanis, omnes et singulae revocentur.

Si quis namque viderit, quod in ista materia scribant zelantissimi doctores, scilicet Bernardus in De Consideratione ad Eugenium libro 3; Dominus noster Lincolniensis, qui pro tempore suo lux et lucerna huius mundi erat, in tractatu suo qui sic incipit: Moyses, qui tradente Domino suscepit gubernaculum totius populi Israelitici; dominus Parisiensis in tractatu suo De

Exemptionibus per 26. capitula; et iterum Dominus Armachanus, qui inductorie probat, quod exemptiones iam factae in ecclesia sint contra omnia iura probabilia; Non oportet, inquam, qui haec viderit, dubitare, quam rationabilis foret haec nostra petitio.

Verum quia pauci haec omnia viderunt, sunt aliqua in medium deducenda, quae faciant pro petito. Scribit enim beatus Bernardus libro supra memorato alloquens papam sub his verbis: Non te tolero diutius. Murmura loquor et querimoniam ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari. Ut nullae vel paucae admodum sint, quae plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quaeris quam? Subtrahuntur abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis sive primatibus. Bona ne species haec? Mirum, si excusari queat, vel opus sit. Facitando probatis, vos habere plenitudinem potestatis: sed iustitiae forte non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum et debeatis, cura non est. Honorum et dignitatum gradus et ordines servare quibusque suos, positi estis, non invidere, ut quidam vestrorum ait, cui honorem, honorem.

Et infra ad propositum: Quid, inquit, tam indignum tibi, quam ut totum tenens non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi creditae universitatis, tanquam non sint tua, satagas, nescio quomodo, adhuc facere tuas. Ubi etiam meminisse te volo parabola Nathan, de homine, qui plurimas oves habens, unam parvulam, quae erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum imo facinus regis Achab, qui rerum summam tenebat et unam vineam affectavit. Avertat Deus a te, quod ille audivit: Occidisti et possedisti. Nolo autem praetendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est, nisi, quod inde episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiones fiunt. Et iterum, non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, falsitates, scandala, otia, quodque magis dolendum, inter ecclesias inimicitias graves, perpetuas discordias. Vides, quam verus sit sermo ille: Omnia mihi licent, sed omnia non expediunt. Quod si forte non licet, ignosce mihi. Non facile adducere, licitum consentire, quod tot illicita parturit. Tunc denique licitum censeas, suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt patres tui? Si [col. 1146-7] iustitiae est, ius cuique servare suum: Auferre cuiquam sua, iusto quomodo poterit convenire? Erras, si ut summam ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimes. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait: Non est potestas nisi a Deo. Proinde, quod sequitur: Qui potestati resistit, Deo resistit: Et si principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non ait, sublimiori, tanquam in uno, sed, sublimioribus, tanquam in multis. Non tua ergo sola potestas a Domino. Sunt et mediocres, sunt et inferiores. Et quomodo, quos Deus coniunxit, non sunt separandi; sic nec quos subiunxit comparandi. Monstrum quidem facis, si manui submovens digitum, facis pendere de capite, superiorem manui, brachio collateralem. Et iterum: Quod si dicat episcopus: Nolo esse sub archiepiscopo: Aut abbas: Nolo obedire episcopo, hoc de coelo non est. Nisi tu forte quempiam angelorum dicentem audisti: Nolo sub archangelo esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi Deo. Hoc bene ibidem cum multis aliis ad propositum notabilibus.

Et si dicat aliquis, quod ista iam dicta bene habent locum in his personis, locis, seu religionibus, qui non sunt consecuti exemptionem a foundationis primordio, secus autem est in aliis. Ad istud brevissime respondetur per regulam Bernardi in De Dispensatione et Praecepto, capitulo primo. Ubi sic dicit: Iniquum procul dubio foret, si statuta pro sola caritate contra caritatem tenerentur.

Modo vero cum a tanto temporis tractu experimento didicere sancti patres, nullum fructum ex huiusmodi exemptionibus provenire, quin potius non modicum ecclesiae detrimentum:

Videtur pium valde et meritorium, huiusmodi exemptiones absque spe redivit revocare, quatenus, unde mors oriebatur, inde vita resurgat.

Verum, ut, in spem, taceam, quid dicant nostri doctores Anglicani ab initio memorati: Quid dicat venerabilissimus Parisiensis in tractatu suo De Exemptionibus, non tacebo. Probat enim per processum, quod exemptio repugnet ordini naturali. Et capitulo secundo probat specialiter, quod est contra naturam regiminis praelati, cum ad totam suam dioecesin se extendat autoritas eius, quod sint aliqui exempti, et non sint sub regimine praelati.

Et in fine eiusdem capituli ita scribit: Cum simile sit de regimine ecclesiastico et de regimine naturali; ponere exemptionem, et ponere, praelatos in aliqua parte suarum dioecesium non habere proprias operationes, est simile, ac si poneremus, naturalia esse otiosa, et non habere suas substantias et virtutes.

Et 30. capitulo probat per processum, quod exemptio, quantum in se est, facit idolum de pastore. Unde assumens autoritatem Zachariae 2.: O Pastor et idolum, derelinquens gregem, ad propositum ita scribit: Praelatus, inquit, est Pastor et idolum, quando culpa sua derelinquitur grex. Sed per exemptionem subtrahitur sibi grex. Hoc est enim contra naturam regiminis ecclesiastici, quando praelatus non culpa sua fit pastor et idolum, non habens autoritatem corrigendi eos, qui sunt in dioecesi sua, qui omnes naturaliter pertinent ad gregem suum. Hoc, inquit, intelligimus nomine idoli, quod manus habet et non palpat, oculus habet et non videt. Praelatus enim, quantum ad exemptos, manus habet et non palpat: quia non potest corrigere eorum delicta. Oculos habet et non palpat: quia non potest corrigere eorum delicta. Oculos habet et non videt: quia non potest iudicare nec discernere eorum peccata. Haec Parisiensis. Praeter alia notabilia infinita, quae elegantissime adducit ad propositum persuadendum.

Et si dicatur, quod religiosi et alii in universitatibus die nocteque studentes in lege Domini, ad fidem catholicam nutriendam, defendendam, dilatandamque, bene merentur exemptionis beneficium, quatenus eo magis tranquille studeant allicianturque consequenter ad studio indulgendum:

Ad hoc respondeo, quod nulli, quantumlibet studiosi, qui non quaerunt, quae sua sunt, vellent propter aliquam libertatem consequendam, qua salva caritate carere possent, pro hac via, quod occasione libertatis eorundem contingeret discrimen tam latum, et res tam perniciosi exempli serperent in laesionem [col. 1148-9] universalis ecclesiae, cuiusmodi sunt exemptiones ante dictae.

Et si dicatur quod si boni essent praelati, non esset bonum ab eis eximi, modo vero quia contrarium videmus ex toto accidere, bonum est eximi ab eorum potestate.

Ad hoc namque potest taliter responderi: quod, quia religiosi ut plurimum his diebus in suis gradibus sunt peiores et a perfectione distantiores, quam ab olim, imputent in parte suae culpa, quod melioribus praepositis subesse non meruerunt.

Et si rursus dicant: Quod grandia faciunt in ecclesia, et non sunt sicut ceteri hominum, quia victimant carnem suam:

Ad hoc respondemus cum Scriptura: Quod melior est obedientia quam victima. Illi ergo qui tantum laudant obedientiam in se ipsis, nolentes suis immediatis praelatis obedire, profecto cum Pharisaeis dicunt utique, non faciunt. Ignorant siquidem ordinem ecclesiasticae hierarchiae, secundum quem, ut vult Dionysius 6. capitulo Ecclesiasticae Hierarchiae, particula 3. ad episcopos, qui sunt in statu proficientium, ex officio pertinet, quoslibet religiosos purgare, illuminare et perficere. Qua fronte ergo tantum laudans ordinem, ordinem pro viribus fugientes?

Et quis queso illorum, assumtus in praelatum sui ordinis, patienter ferret, quod essent duo vel tres in claustrum suo, qui ab ipsius obedientia dicerent se exemptos? Quanto magis dioecesanus

gravissime ferret, videns in dioecesi sua mille, qui nolunt sibi subjectionem profiteri? Si ergo nullus praepositorum religiosorum quoad confratres suos sub manu sua degentes gratis sineret hoc sibi fieri, qua quaeso caritate optant hoc aliis fieri, quod nullo modo vellent fieri sibi ipsis? Revera si hoc emanat de caritate, non est utique ab illa quam inspirat caritas, quae est Deus.

Verum si demum replicet aemulus caritatis, per hunc modum: Si omnes qui sunt in statu clericali, gaudent exemptionibus, de quanto ex benignitate principum sunt exempti a iudicio seculari, et ne secularibus negotiis se immisceant: Quare ergo non possunt pauperes religiosi sibi exemptiones procurare?

Ad hoc dicendum est, quod est longa lataque differentia inter ista. Tum quia totus status cleri secundum se est superior statu laicali secundum totum eius ambitum: Tum etiam quia huiusmodi exemptiones clericorum ex oblatione principum processerunt. Sicut et eorum in temporalibus dotatio. Quemadmodum satis liquet ex infinitis chronicis et legendis. De exemptionibus vero capitulorum ac religiosorum a suis dioecesanis, secus est per omnia. Nam ut supra dictum est ex testimonio Dionysii de Ecclesiastica Hierarchia, totum genus huiusmodi religiosorum est de per se subordinatum pontificibus.

Et quidem uti seculares clerum libere exemerunt, isti, invitis dioecesanis et renitentibus, procurant procuraruntque exemptiones, non tanquam pauperes, facultatibus praesertim. Cum non inverisimile sit, huiusmodi exemptiones, praelatis tam dispendiosas, non procuratas fuisse absque magno pecuniae interventu.

Et indubie, ut pauperes spiritu nullatenus talia procurarunt. Si enim fuissent pauperes spiritu, procul dubio patienter tolerassent se subiici suis dioecesanis et praelatis. Etsi non aliud fecissent, nisi propter exemplum obedientiae praebendum aliis Christianis.

Et si finaliter dixeris: Grave esset, nisi eis in aliquo esset delatum, magisque eis parceretur, qui totaliter se Deo devovent, mundumque ex integro reliquerunt, dediti sunt pariter studio, contemplationi, orationi ac praedicationi verbi Dei.

Fateor verum esse, quod affirmas. Sed haud dubium, istud laudabilius posset fieri nulla exemptione interveniente, deducto omni scandalo, cum sincera benevolentia praelatorum, ac filiali obedientia subditorum, una cum accumulatione meritorum altrinsecus, ac maiori conformitate ecclesiae militatis ad ecclesiam triumphantem.

Et ideo contra omnes tales, qui nolunt suis episcopis obedire, sub autoritate Clementis papae ex transumpto ex eius [col. 1150-1] epistola dicit Decretum distinctione 93. capitulo 9. Nulla ratione (vel potius Qui suis) per hunc modum: Qui suis episcopis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt.

Isti namque, de quibus iam praemissum est, innuunt in effectum, quod posset esse actio alterativa absque applicatione seu contactu activorum ad passiva: Aut aliter, quod posset esse actio conversiva inter aliqua, ubi nulla qualitas est dissymbola.

Articulus 7: Contra dispensationes.

Praeterea, quamvis dispensationes sint multoties utiles ecclesiae, attentis diligenter necessitate ac dispensationibus personarum: Quia tamen videmus, inconvenientia non pauca ex inconsideratis improvidisque dispensationibus provenisse: Petimus, quod si praelati provinciarum possunt oculata fide probare, quod huiusmodi dispensationes fuerint falso impetratae, utpote quia aut tacita veritate, aut suggesta falsitate, aut aliter inutiles ipsi ecclesiae fuerint, quatenus ipsis praelatis liceat omnes tales dispensationes tanquam invalidas reiicere, repellereque ex officio teneantur.

Huiusmodi namque petitionis rationabilitas ex hoc evidet: tum primo, quia tunc profecto esset verisimile, quod esset notabilis extinctio symoniae, quae sub fuco dispensationis ingravescit.

Tum secundo quia tunc salubria iura reviviscerent, quae occasione dispensationum sunt sopita:

Et tum tercio quia inidoneitas repulsam aliquoties pateretur, ubi iam ingreditur importune.

Mirandum namque valde, imo profecto non minus dolendum, quod, in contemptum castimoniae coniugalis, tot in manifestissimo adulterio geniti, tot filii presbyterorum, totque ex scortis procreati, contra iura antiqua sacratissima, dispensationum interventu gaudent tam liberis habentibus, sicut ex legitimo thoro nati, adeo quod pudicitia non curatur, non plectitur impudicitia, sicut olim. Et cum ut plurimum patrem sequitur sua proles, non restat aliud, nisi, quod qualis pater, talis filius.

Taceo de dispensationibus cum pueris, quoad gradum sacerdotii: Imo, quod amplius est, aliquoties quoad statum episcopii, contra decretum apostolicum, quo neophyti ab huiusmodi repelluntur. Et sic, maturis relictis, praeficiuntur indigesti, et viris fortissimis effeminati dominantur.

Heu, heu, inquam, non est ista dispensatio, sed, iuxta Bernardi sententiam, nimis crudelis dissipatio. Praesertim, cum, secundum eundem in De dispensatione et praecepto, fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familia sua, ibi tantum novit usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem. Ideo, ut vult idem in de consideratione ad Eugenium libro 3. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: Ubi utilitas provocat, dispensatio est laudabilis. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

Articulus 8: Contra beneficiorum pluralitates.

Ex istis sequitur alia petitio corollarie. Videlicet, quod, ubicunque habet aliquis duo beneficia vel plura, quorum unum sufficit ad suum officium exequendum: Quod nisi fuerit singularis persona et sublimis, quoad omnia, praeter illud unicum, tollantur, et idoneis conferantur.

Istius siquidem petitionis evidentia sufficienter est ostensa per Lincolniensem in suis epistolis, per venerabilem Parisiensem, De Praebendis. Et concordant iura utrobique, quae ponunt pro una maxima: Quod pluralitas beneficiorum est canonibus inimica. **[col. 1152-3]**

Huius autem petitionis deductio ad effectum posset taliter sane fieri. Quatenus, assensu patronorum requisito, et pia fundatorum intentione perspecta, simulque consideratis utilitate universalis vel etiam particularis ecclesiae, aut incommodo ex adverso, secundum hoc, ex decreto, dioecesani seu dioecesanorum habito maturo consilio, negotium peragatur.

Rursum, quod de cetero sit omnis pluralitas interdicta, nisi vel sit tanta raritas Clericorum, aut tanta beneficiorum tenuitas, aut certe tanta singularis sublimitas in personis, quod necessitas plus videatur pluralitatem beneficiorum inducere, quam voluntas.

Semper enim huiusmodi pluralitas beneficiorum habet speciem malam sibi annexam, et praecipue avaritiae suspicionem in optante. Quod bene notavit Dominus Lincolniensis epistola 25. scribens cuidam curato, quem a pluralitate beneficiorum revocare voluit, per hunc modum: Trahente, inquit, amore et sollicitudine moneo, exhortor, et obsecro, quatenus animae tuae saluti consulens, maiori et graviori oneri curae pastoralis iam pridem suscepto humerum tuum non supponas, ne oneris gravitas te opprimat et conterat. Et sequitur: Si ad curam pastorem, ommissa

cura secularium negotiorum, ut Deo milites, te, sicut oportet, convertas, certus sum, quod non solum refugies maiorem curam assumere; sed satages de magna parte curae jam assumptae te exonerare, cum senseris, te de omnibus et singulis ovium tuarum commissis rationem reddere debere. Nec fallat te, sicut multos fallit, obtenta dispensatio forte habendi tot beneficia ecclesiastica. Quia huiusmodi dispensatione abutitur quisquis, qui ad alium finem, quam ad fidei et caritatis augmentum eadem utitur. Consule igitur conscientiam tuam, utrum plura adhuc ecclesiastica quaeris beneficia, ut caritas augeatur in ovibus, aut ut augearis ex ovium opibus: Ut tu pascas oves verbo et exemplo et oratione, aut ut tu pascaris de ovium lacte. Vide, utrum Deo dicere possis cum Augustino: Domine, tu scis, quia dixi, scis, quia non tacui, scis, quia flevi, cum dicerem et non audirer. Haec est tota de ovibus reddenda ratio. Si igitur huius rationis cumulum Deo reddere non poteris de ovibus hucusque tibi commissis: Qua fronte audes petere, ut plures tibi committantur? Pro quibus te constituas amplioris rationis reddendae debitorem apud districtissimum iudicem et exactorem usque ad novissimum quadrantem. Si regi terreno non posses rationem reddere de villicatione minori, quomodo expeteres ab eo villicationem maiorem, in cuius ratione si defeceres, ligatis manibus et pedibus mitteret te in carceris tenebras exteriores? An putas, Deum non dicturum tibi: Redde rationem villicationis tuae. Dicit utique: Quam si non reddas usque ad novissimum minutum, tradet te tortoribus iuxta omne meritum cruciandum. Quapropter, frater carissime in Christo, per aspersionem sanguinis Iesu Christi, qui totus effusus est non solum pro omnibus sed pro singulis ovibus, te obsecro, quatenus pro ampliori cura maiori et districtiori reddendae rationi te non obliges, ne forte in reddenda ratione deficiens tradaris tortori, qui te mittat in carcerem, unde non exeas, donec usque ad novissimum quadrantem satisfeceris. Novit ille, qui scrutator est cordium, quod timore periculi tui et ovium mearum, pro quibus debitor sum, non solum verba sed animam meam ponerem, haec tibi paterna sollicitudine et materna compassione persuadeo. Et qua affectione mater retinet parvulum, ne se mittat in praecipitium: Ea te, si possem, retraherem, licet reclamantem et renitentem, ne curam tibi oblatam susciperes in tui et ovium illarum desolataram grande periculum. Sed te retinere nolentem non potero, nisi tibi obstarent iura canonica, secundum quae iudicantur omnia in militante ecclesia. Verum eo sollicitius tibi cavendum est, ne forte in hac parte tibi obstarent iura divina, secundum quae iudicandus deficiens vel bene proficiens iudicaturus es in Ecclesia triumphante. Christo, per aspersionem sanguinis Iesu Christi qui totus effusus est non solum pro omnibus sed pro singulis ovibus, te obsecro, quatenus pro ampliori cura maiori et districtiori reddendae rationi te non obliges, ne forte in reddenda ratione deficiens, tradaris tortori qui te mittat in carcerem, unde non exeas donec reddas usque ad novissimum quadrantem. Novit Ille qui scrutator est cordium, quod timore periculi tui et ovium mearum, pro quibus debitor sum non solum verba sed animam meam ponere, haec tibi paterna sollicitudine et materna compassione persuadeo; et qua affectione mater retinet renitentem parvulum ne se mittat in praecipitium, ea te si possem retinerem, licet reclamantem et renitentem, ne curam tibi oblatam susciperes, in tui et ovium illarum desolataram grande periculum. Sed te retinere nolentem non potero, nisi tibi obstarent iura canonica, secundum quae iudicantur omnia in militante ecclesia. Verum eo sollicitius tibi cavendum est, ne forte in hac parte tibi obstarent iura divina, secundum quae iudicandus, vel bene proficiens iudicaturus es, in triumphante ecclesia. Haec Lincolniensis.

Articulus 9: Contra appellationes.

Quamvis appellationis remedium provide erat inventum, ad tuendam innocentiam et in solatium oppressorum, ut dicant iura, ratio pariter et [col. 1154-5] Scriptura: Quia tamen, quod ad noxam

tendere videtur ac maioris boni praestat impedimentum, est cum prudentia relinquendum: Ideo petimus, quod, quantum commode fieri potest, non fiant a modo appellationes per saltum. Nec extra provincias aut regna trahantur causae minores. Sed quod ad sedem apostolicam tractae, autoritate eiusdem sedis ad proprios dioecesanos sue ad comprovinciales remittantur.

Rationem quidem includit haec petitio multipliciter.

Tum primo: Quia per huiusmodi appellationes ut plurimum iniustitia diutius defenditur, et executio iustitiae vel simpliciter aut per subterfugia protelatur.

Tum secundo: Quia, qui sunt valde pauperes vel pecuniis non abundant, omissa appellationis voce, ab adversario locuplete nunquam ius suum consequuntur, deficientibus sibi facultatibus ad tam distanter prosequendum.

Et tum tercio: Quia tam grata tamque crebra appellationum a curia Romana acceptatio ipsam nedum de avaritia apud subditos scandalizat, contemnique facit inferiores Praelatos a suis subditis, verum etiam ipsam curiam a profectu maioris boni excludit. Videlicet, ut, dum Scripturae sacrae studio, praedicationi verba Dei, gentium conversioni, sedulius intenderent: Relictis huiusmodi, ad contentibiles in Ecclesia iudicandum indignos se reddant, qui sic se de minimis negotiis intromittunt. Unde Bernardus primo libro ad Eugenium ad propositum ita scribit: Miror namque quemadmodum religiosae aures tuae sustineant huiusmodi disputationes advocatorum et pugnas verborum, quae magis ad subversionem proficiunt veritatis.

Et de abusu appellationum 3. libro ita ait: Magno illius et pio intuitu opus, ne, quod magna fuit necessitate provisum, male utendo reddatur inutile. Quid, inquit, e regione tam perversum tam recti alienum, ubi laetatur qui malum fecit, et qui tulit, inaniter fatigetur. Inhumanissime, non moveris erga hominem, cui illatae iniuriae cumulavere dolorem, et dolor itineris et damna expensarum?

Et infra, commendans Eugenium in facto suo, ita eum alloquitur: Bene facis tu, quod, appellationum negato suffragio, multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possunt. Ubi enim certior et facilius notio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest. Quam plenum gratiae! Quam multorum perinde parcis laboribus et sumtibus! Haec ille.

Utinam ergo, quando facta appellatione ad curiam potuisset nihilominus aequè bene vel melius causa fuisse domi terminata coram iudicibus ordinariis: Et hoc posset fidei conscientia a summo pontifice deprehendi! Diceret effectualiter, quemadmodum dixit angelus Agar ancillae fugienti a facie dominae suae Sarae: Revertere, inquit, ad Dominam tuam, et humiliare sub manu eius.

Hoc enim facto, cessaret appellationum inutilium cataclysmus, nec non et magna tranquillitas ecclesiae redderetur.

Articulus 10: Contra privilegiorum abusiones.

Cum enim, ut vult Decretum, 25. quaestione 1. capitulo 16. Ideo: Sect. Si ergo. contra statuta canonum, vel quibus status ecclesiarum vel confundantur vel conturbentur, privilegia ab apostolico concedi non debent: Petimus ergo, quatenus, facto diligenti scrutinio in concilio generali de privilegiis concessis ordinibus, locis, seu personis. Ac insuper concessa autoritate singularum provinciarum metropolitanis, et eorum suffraganeis, ac aliis praelatis, et sapientibus, ad inquirendum in locis propriis eorundem. Quotquot privilegia ex tunc comperta fuerint vel confundere seu perturbare universalis ecclesiae statum, aut alicuius Ecclesiae particularis, aut aliter inutilia esse, seu perniciem utentibus aut aliis irrogare, tot deinceps revocentur et cassentur.

Quod autem ista petitio esset effectui mancipanda, patet ex testimonio Decreti iam inducto. Vivax etiam et scriptura suffragantur. [col. 1156-7]

Vivax enim ratio dictat, quod non sit malitiis hominum indulgendum: Aut quod aliquis ex sua malitia debeat commodum reportare: Aut quod praerogativa unius cedat in praeiudicium alterius, aut quod bonum privatum unius seu paucorum bono Reipublicae praeferatur, aut quod inutiliter geritur de cetero debeat exerceri. Praesertim cum inutile et nullum pari passu ambulent, quoad mores.

Si autem scripturam libeat inspicere, quid de privilegiatis sentiat, vide, quid dicat Dominus primo Regum 2. capitulo. Ipsi Heli sacerdoti loquens inquit: Locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me, sed quicumque honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Ex isto loco potest accipi satis clare, quod cessante ratione privilegii cessare debet et privilegium: Et quod abutentibus privilegiis in praeiudicium aliorum, eis merito sint privandi. Et hoc est, quod dicit Decretum: Sicut necessitatem patientes cessante necessitate beneficiis renunciare coguntur, quae eis miserationis indulsit intuitus. Sic religiose viventes, cum a religione cessaverint, privilegiis eximuntur, quae religiosa conversatio meruit. Privilegia ergo quae religiosis domibus conceduntur, in eo casu accipienda sunt, in quo ita eis consulitur, quod nulli aliquid derogetur. Haec canon.

Frustra ergo et absque conscientiae fundamento vendicant privilegia ultra alios, qui eos merito operum non excedunt. Et hoc est quod quibusdam dicit Decretale sexto decretalium libro 3. titulo 35., De statu monachorum, capitulo 3., sub his verbis: Si, inquit, relictis originalibus ordinis institutis, ad communia volueritis aliorum monasteriorum iura divertere, oportebit vos communi iure censi. Quia dignum est, ut qui similem vitam cum aliis suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam.

Quis autem fructus ex huiusmodi privilegiis insurgat ut plurimum, non videmus, si non religionis dissolutionem, intentionis patronorum et religiones instituentium frustrationem, fundatorum fraudationem. Ut, dum illi monasteria vel pia loca dotabant seu fundabant, quatenus inibi conversantes stricte servarent suorum patronorum instituta: Isti, in regionem longinquam abeuntes, per privilegia, dispensationes et exemptiones, non solum de specie in speciem, sed ab opposito in oppositum mutarunt sanctorum patrum instituta.

Ut igitur de abusu privilegiorum taceam et de falso et contra legem impetratis, quae inutilia et pro infectis sunt habenda. Quaedam profecto videntur tam inania et nullum fructum afferentia, quod essent tanquam funera mortua ad sepulchrum deducenda.

Verbi gratia, Abbas aliquis, qui, in quantum huiusmodi, (ut volunt iura, et concordat Dionysius in De Ecclesiastica Hierarchia capitulo 6.) inferior est in Ecclesia quam subdiaconus, ex privilegio plerumque omnia insignia pontificalia gerit, et ad quem finem non apparet, nisi ut gloriosus appareat sine causa, aut ut simplices illudat atque rudes.

Quod bene considerans Metricus pertinenter ad propositum ita scribit: Annulus abbatis, et mitra sophistica, semper / sint procul a nobis, et decus absque Deo. / Abbatum steriles mitras, quas nulla sequuntur / Chrismatis officia, non probo, sintque procul.

Articulum 11: Contra Apostasiam clericorum, sese secularibus negotiis immiscentium.

Cum Christus dicat in evangelio, quod nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei: Apostolus quoque dicat, quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus:

Et iura etiam dicant, sicut patet 21. quaestio, 3. capitulus 2. Credo: et capitulus 1. Pervenit: et capitulus 4. Cyprianus: et Extravagantes: Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant, per totum: Quod clerici vel [col. 1158-9] monachi sese secularibus negotiis immiscentes adeo reddant se indignos, quod beneficiis et officiis ecclesiasticis sint privandi in tantum, quod nec etiam in morte debet pro eis offerri sacrificium salutare: Ideo petimus, pro periculo tam ministrantium, quam illorum, quibus ministratur, imo totius ecclesiae, declinando, quod ista iura sint ad unguem executata, ac regibus, principibus, totique populo ubique terrarum frequentissime publicata, ne aliqui per ignorantiam istorum iurium in lege divina fundatorum se excusent.

Quam iusta quamque necessaria sit haec petitio toti ecclesiae militanti, nullus ignorat, si non superbia aut avaritia excoecatus. Trahit enim declarationem rationis secum.

Ideoque ad huius executionem vivacem maxime attenderent, qui sunt supremi in ecclesia, puta, summus pontifex, episcopi et praelati, quorum est sacratissima iura exequi, tueri, ac pro eis tuendis ad ultimum terribilium se exponere.

Nec minus pro suo modulo ad hoc debent attendere principes seculares, ne forte ex consensu pari periculo involvantur. Dicit enim Decretum, ubi supra, sic: Neque enim apud altare Domini merentur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari volunt sacerdotes avocare.

Debent enim seculi principes meminisse, quod magnus rex Nabugodonosor quia a templo sacra vasa asportavit, eisque abusus est in domo sua, ideo subito a regno est dejectus. Sed non aliud profecto faciunt, qui clericos divino coetui deputatos trahunt ad secularia ministeria.

Et revera in hoc facto multum damnificant se, et clericos praesertim, ut vult Gregorius sui Registri libro primo: Si sacerdotes et clerici adjunctis bonis operibus debite orarent, ut est dignum, pro imperatoribus et regibus, nihil perturbaret prosperitatem et pacem regnorum Christianorum.

Et si dicatur quod reges et principes et nobiles habent virtute privilegiorum iam dudum eis indultum, quod possunt clericos ad secularia, ut libuerit, officia deputare.

Ad hoc breviter respondetur. Quod si sit per se notarium, quod huiusmodi privilegia seu potius horum abusus praestet non modicum impedimentum profectui spirituali ecclesiae; imo, si prohibuit, sicut constat. Debet, qui hoc concesserit, quam cito ad hoc se obtulerit opportunitas, omnia huiusmodi revocare. Nec in ista materia nimis oportet studere ad iustificandum huiusmodi privilegia petentes, sicut nec etiam concedentes, sed minime talibus abutentes.

Et ideo bene dicit Decretum, 25. quaestione 2. capitulo 19.: Decessorum. Decessorum, inquit, statuta sicut legitima et iusta successorem convenit custodire: Ita decet etiam mala facta corrigere.

Et revera si ista sanctissima iura essent rigide observata, non essent tot graduationes in coquinis et cancellariis dominorum a beneficiis ad beneficia, etiam usque ad cumulum praebendarum, et regulariter, imo irregulariter, a minoribus dignitatibus usque ad pontificales dignitates.

Unde fit, de quo maxime est dolendum, quod de extremis populi passim ad omnes pene maiores dignitates in ecclesia assumuntur.

Nec aliud restat, nisi quo Dominus noster Christus dicit in evangelio: Quod si caecus caeco ducatum prostiterit, ambo in foveam cadunt.

Et si dicatur hic: Quod tales de quibus est iam tactum, sunt viri multum discreti, prudentes et providi in consiliis: Quemadmodum ut plurimum non sunt clerici, qui sunt notabiliter literati et maxime in lege divina studentes, praesertim cum nihil sciant de mundo, et

sic inepti sunt ad regimen et maxime episcopalium dignitatum: Oportet igitur ad huiusmodi praeficere mundiales, cum sint magis idonei ad hoc opus, dummodo aliunde sint honesti.

Quamvis istud argumentum sit insolubile apud filios huius seculi, apud Satrapas, et apud eos, qui non sapiunt ea quae Dei sunt, sed quae hominum: Nihil tamen movet eos, qui Domini sunt, et quos affecit zelus eius. Illi vero, inconsulto Herode, per aliam viam [col. 1160-1] perrexerunt. Considerant enim: Quid in hac materia sentiat scriptura Novi et Veteris Testamenti? Quid senserit Paulus, quando episcopos instituerat? Quid senserint sancti Patres? Quid sacratissima iura? Et specialiter sententia Beati Gregorii, qui tam in speculativa quam in practica probaverat: Quid esset necessario requisitum ad officium pastorale? Quibus habitis, non curant, quid sentiant amici huius seculi, qui propterea, ut vult Iacobus apostolus, constituuntur inimici Dei.

Verum, pro solutione huius invectionis invalidae falsum utique supponentis, advertendum est, quid ad propositum scribat Chrysostomus super Epistolam ad Hebraeos homilia 34, ubi sic scribit ad propositum: O quantum periculum! Quid dicamus infelicibus illis et miseris, qui se ipsos ad alios regendos praecipitant, et se in tantorum simplicium abyssum iactant hominum? Mirum est, si potest salvari aliquis rectorum. Si enim qui necessitate compelluntur ad regimen, non possunt excusari, si negligenter administraverint, ut patet de Aaron, Moyse et Saule: quanto amplius, qui cum studio et ambitione petunt principatus, et seipos praecipitant, severius puniuntur. Haec Chrysostomus. Hac autoritate digesta transeant ad alia recitata.

Articulus 12: Contra praerogativam cantorum et officialium in curiis dominorum residentium.

Quamvis cantus sit res laudabilis, ac bene poterit exerceri, beneque exerceatur a nonnullis in ecclesia, ut supponitur; petimus tamen quod cantores praecise de tanto reputentur in ecclesia, de quanto qualitas operis eorum exposcit; ac de tanto de stipendiis ecclesiae recipiantur, de quanto ad eius aedificationem faciunt, non praeiudicando magis dignis in ecclesia.

Huius siquidem petitionis ratio satis liquet ex mandato apostolico, prima Corinthiorum 14. sic scribentis: Omnia, inquit, honeste et secundum ordinem fiant.

Contra honestatem certe et ordinem foret, quod minores maioribus, et indigniores dignioribus praeferri deberent in ecclesia. Cum igitur cantorum officium in ecclesia, ut huiusmodi, minus sit et indignius, minoremque utilitatem afferens quam diaconorum, patet quod ea proportione sunt tractandi.

Veritas siquidem huius dicti plane patet ex Decreto Gregorii magni, et ponitur in canone, distinctione 92. capitulo 2. In sancta Romana. Ubi ad propositum ita scribit: In sancta Romana ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad praedicationis officium et elemosynarum studium vacare congruebat. Unde fit plerumquam, quod in sacro ministerio dum blanda vox quaeritur, congrua vita negligatur, et cantor minister deum moribus stimulet, cum vocibus populum delectat. Qua de re praesenti Decreto constituitur, ut in sede hac sancti altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicae lectionis officium inter missarum solemnias exsolvant; Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exegerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Haec canon.

Ecce, videtur, quid senserit beatus Gregorius de cantoribus et de cantu. Et quod officium cantandi non est dignissimum, neque maxime necessarium in ecclesia.

Et rursum, quod gratia illius non debent praetermitti maiora et meliora in ecclesia. Cuiusmodi sunt praedicatio verbi Dei, et ea quae ad ipsam necessario requiruntur, videlicet sacrae Scripturae studium, sancta meditatio, devotaque oratio sine strepitu.

In cuius evidentiam illi, qui devotiores sunt, assidue tamen cantui insistentes, non experientes ut plurimum tantum devotionis in clamore, quemadmodum in silentio moderato. Prius dicunt horas canonicas sine nota. Quod non facerent, si [col. 1162-3] plus devotionis accresceret eis regulariter in cantando.

Et in hac materia adeo aliquoties est turbatus Augustinus, quod propter devotionis remissionem, et propter pericula, quae nonnunquam consurgunt ex cantuum ecclesiasticorum exercitio, quod optasset omnia huiusmodi modulamina sublata fuisse ab ecclesia. Unde decimo Confessionum sic scribit ad propositum: Quia in ipso cantu delectatio carnis se immiscet, valde interdum melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim atque ipsius ecclesiae. Tutius quidem mihi videtur, quod de Alexandrino episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemoravi, quia tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti. Veruntamen, cum reminiscor lacrymarum mearum, quas ad cantus ecclesiae tuae, in primordiis recuperatae fidei meae habui, et nunc ipsum commoveor non cantu sed rebus quae cantantur: Cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius utilitatem rursus agnoscens: Ita fluctuo inter periculum voluptatis, et experimentum salubritatis. Magis quam adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in ecclesia. Ut per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis exurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quae cantatur, moveat, me peccare confiteor. Et tunc malle non audire cantum. Haec Augustinus ibidem.

Hic plane videtis, quod quamvis Augustinus dicat, se ex quibusdam motivis inductum ad approbandum consuetudinem cantandi in ecclesia, dicit, se tamen non proferre istam sententiam tanquam irretractabilem. Significans per hoc, quod si, quod absit, ab aliquo cantu ecclesiastico magis dispendium ecclesiae generaretur quam profectus: Ut in casu, quo occasione illius maiora bona magis quam necessaria ad incrementum spirituale ecclesiae essent neglecta seu postposita: Quod tunc cantu ecclesiastico secundum maius aut minus intermisso, tanquam minori bono et non simpliciter necessario, eligamus magis bonum necessarium.

Hoc autem non dicimus, ut cantum ecclesiasticum reprehendamus, sed ut digniora apud Deum praeferamus. Praesertim cum metricus ita dicat: Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor, / Non clamor, sed amor, sonat in aure Dei.

In cuius evidentiam populo Israeli, qui neglectis virtutibus, et maxime misericordia et iustitia, musicalibus melodiis ad Dei laudem indulgebat, exprobando sic dicit Dominus Amos quinto: Aufer tumultum carminum tuorum a me, canticum lyrae tuae non audiam.

Pro tanto autem ista diximus de cantoribus, quia videmus tanquam oculata fide, quod maiores praelati, ac etiam domini seculares, videntur sibi et aliis satisfacisse quoad omnia, si quilibet eorum habeat unum globum cantorum electorum, qui faciant strepitum quoad mundum. Quibus omnia beneficia quae poterunt procurare, non sufficiunt.

Et ita sub sophismate videtur ecclesia delusa, dum minus idonei praeferuntur ad cumulum beneficiorum, praetermissis habilioribus.

Articulus 13: Contra extorsiones universaliter.

Quoniam antiquus hostis, volens omnes homines indistincte in interitum secum ire, ubi non subest sibi facultas pertrahendi eos ad facinora, pertinentibus nominibus nominata, nititur pro viribus, quantum sufficit, sub titulo praeclarae nominationis et honestae ad praemissa perducere: Petimus igitur, in amore crucifixi, quatenus omnes extorsiones indebitaeque exactiones, quae in ecclesia exercentur, honestis nominationibus palliatae, unanimi consensu praelatorum simpliciter sint deletae.

Quanta autem celeritate esset haec petitio exequenda, doceret quidem horror divini iudicii. Quoniam ut ait [col. 1164-5] Scriptura, Amos ultimo: Ecce oculi Domini super regnum peccans. Et conteram, inquit, illud a facie terrae.

Et revera sicut avaritia erat causa destructionis Ierusalem veteris, ita etiam et novae, si non citius per remedium occuratur. Scribit enim Propheta, ubi supra, in hunc modum: Vidi Dominum stantem super altare, et dixit, percute cardinem et commoveantur superliminaria. Avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam. Non erit fuga eis, fugient, et qui fugerit, non salvabitur ex eis.

Nec valet hic consuetudinem contra bonos mores allegare. Praesertim, cum malum quo diuturnius eo peius.

Si, inquam, ab initio gratis praestitum non facit praestantem quantumlibet temporis tractu debitorem. A fortiori, quod ab initio per violentiam est extortum aut irrationabiliter impositum, aut paulativa surreptione fuco praescriptionis usurpatum, non reddit aliquem debitorem, sed importune haec petentes iniustissimos exactores.

Quare in talibus, quae huiusmodi exigentes de avaritia suspectos reddunt probabiliter, non deberet quidquam eis impendi, nisi pro eis causam allegent legitimam, quae per viros conscientiosos et Deum timentes posset rationabiliter approbari.

Aliter enim tota congeries peccatorum posset faciliter excusari, dicendo: Quod sic consuevit fieri; et sic fecerunt boni viri; et rursum, quod talia memoriam hominum transierunt, non interim impetita; et iterum, quod nonnulli, qui videbantur aliquid esse in ecclesia, talia tam scriptis quam factis approbarunt; et absit, quod omnes talia facientes essent in perditionis periculo.

Verum, quia multiplicare inconvenientia, non est solvere, et ut volunt philosophi cum Scriptura: Nullum violentum aeternum. Non superest aliud pro salute, nisi quod emendemus in melius, quae vel scienter vel ignoranter peccavimus in praemissis.

Unde, ut appareant praeclara nomina, sub quorum pallio se protegent extorsiones in ecclesia, nihil loquendo de denariis sancti Petri, nec de archidiaconorum procurationibus, qui nihil habent aut modicum, unde in suo officio se sustentent praeter procuraciones, quas vel in pecuniis vel in victu possunt capere. Quaedam velamina reserabo, quae subscriptis nominibus appellantur. Videlicet, primorum fructuum exsolutiones, censuum impositiones, reservationes, tam generales quam speciales, taxationes, multae exactiones, procuraciones, pensiones indemnatum, poena pecuniaria, denarii synodales, et laetare contributiones, collectae, testamentorum insinuationes, sequestrationes, administrationes, dimissiones officialium, et apparitorum feuda, et alia huiusmodi infinita ac expertis magis nota, quae excogitavit avaritia. Adeo, quod ubi ab olim in laudem praepositorum ecclesiae voce prophetica dicebatur Esaiiae 60: Ponam praepositos tuos iusticiam, modo vice versa proclamatur per oraculum Ieremiae 6: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones a maiore usque ad minorem, omnes avaritiae student, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

Unde absque verecundia apud satrapas vertitur in vulgatum proverbium ad terrorem simplicium: Quod episcopus habet mille oculos nocendi.

Articulus 14: Contra superfluum et nimis sumtuosum et inordinatum apparatus in clericis et eorum familia.

Ne nimia deformitas appareat inter vitam legiferi et exemplaris nostri Christi ac etiam sanctorum patrum praecedentium, et formam nostrae conversationis, ac etiam ne contra decreta eorum attentemus, et maxime ne scandalum populo propinemus. Pie petimus quod conviviorum superfluitas quo ad clerum, vestium nimia pretiositas, cum pompa equitatus et familiae, inordinate se habentis sive in vestibus seu gestura, sit celeriter et cum prudentia resecata. Si [col. 1166-7] enim haec praemissa sunt quoad omnes Christianos resecanda, quanto magis a clero quorum est delicias spernere, contemptum mundi ac poenitentiam praedicare.

Nec certe excusat apud Deum, quod dominus papa ex certa scientia hoc dissimulat. Nec etiam usus habitus in contrarium, huiusmodi exercentibus suffragatur, quinimo magis accusat propter peccandi consuetudinem et occasionem mali datam, et maxime per hoc quod bona ecclesiae non transeunt ad illos usus, ad quod erant a principio ordinata, sed potius in illos abusus, qui per sacras leges ecclesie sunt clericis interdicti. Si enim in his in quibus unus videtur defectus culpa non latet, quanto magis in his in quibus magis videretur. Si enim morem patriae sequi liceat, non superbiam, nimia tamen vestium pretiositas tanquam illicita a sanctis patribus disvadetur. Trahit enim secum probabilem superbiae suspicionem, aut aliter nimis delicati. Scribit enim beatus Gregorius in quadam homelia sic: Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod utique si culpa non esset nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo enim vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quaerit. Haec ille.

Si enim tantum periculum est in isto, quanto magis in aliis memoratis, quae minorem pro se habent evidentiam rationis. Tenentur etenim ecclesiastici et maxime episcopi pauperibus debilibus et ad laborandum impotentibus nedum necessaria providere, verum, quantum sibi possibile fuerit, necessaria largiri: distinctione 82. capitulo generaliter: Et capite episcopus.

Unde et Gregorius magnus doctor, secundum quod de eo scribit noster chronicator Beda, libro suo 2. capitulo primo: Quicquid pecuniae habuerat, sedulus hoc dispergere aut pauperibus dare curabat. Unde et refert Martinus in chronico suo: Quando quidam successor eius in papatu, nomine Sanctimianus, ipsi post mortem derogaret et maxime liberalitati, et propter hoc egenis manum adiutricem subtraheret, sanctus Gregorius ipsum ter per visum pro culpa redarguens, et quarto, cum se corrigere nolet, in capite percussit, quo tactu evigilans vexatus in capite expiravit.

Articulus 15: Pro cultu divino fructuosius ampliando.

Unde, cum digna oblatio sacrificii salutaris sit maxime accepta Deo Patri, et praecipue misericordiam eius impetret, ac summe placet eius iram, est que singulare antidotum contra cuncta pericula imminetia. Petimus ergo cum instantia, quatenus, ut undique laudabilius fiat et securius, omnes praelati uno voto ad hoc laborent efficaciter, ut quaelibet parochialis ecclesia sit sic dotata quod ad minus sufficiat abundanter victui unius curati et alterius idonei sacerdotis quem sibi voluerit subrogare.

Quod autem haec petitio rationi innitatur, potest multiplici medio declarari, tum propter necessitatem satis crebro contingentem, utpote in festis solemnibus, puta natalis Domini, paschae et pentecoste, ubi non potest per unum sacerdotem tantum honorifice Deo deserviri. Tum secundo propter infirmitatem, ubi necessitas petit alium. Aliter enim parochiani contra omnem

bonam politiam essent suo debito destituti. Et tum tercio propter alia impedimenta innumera, quae possunt leviter contingere uni soli. Sicut verbi gratia ex fragilitate humana verisimiliter contingere potest; sicut crebro contingit quod aliquis talis solus existens pro certis temporibus, quibus omnino necessarium est parochianis habere missam celebratam, sit simpliciter indispositus ut puta per iram vel per concupiscentiam; sicut Indies contingit quod quamvis ex negligentia admittantur, non tamen tam de facili avelluntur, in quo quidem casu occurrit insolubile. Damnosum namque est [col. 1168-9] parochianis missa carere, sed longe damnabilius est ipsi sacerdoti ad celebrandum indigne accedere. Quod quidem secundum sententiam Origenis facit qui stantibus huiusmodi passionibus ad celebrandum accedit. Unde homelia 6. super illo textu Iosuae: Et fecerunt filii Israel pascha 24. die mensis; ad propositum ita scribit: Non ante circumcisionem pascha facere poterant, supple, filii Israel. Sed neque statim post circumcisionem carnes agni comedere, antequam sanarentur, sed postea quam sanati sunt, dicitur quod fecerunt pascha. Haec Origines ibidem.

Ut itaque nostra praesens petitio executioni demandetur, offerunt se viae non paucae.

Quarum una est quod ubi occasione appropriationum sunt ita extenuata beneficia, quod duobus sacerdotibus non sufficiunt, quod vel ibi appropriationes sint simpliciter revocatae, aut aliter, quod huiusmodi moderamen fiat quatenus effectualiter appareat, quod portio sufficiens relinquatur ad plenam exhibitionem ministrorum iam dictorum et alia onera incumbentia.

Secunda via posset aliquoties rationabiliter evenire. Videlicet, quatenus beneficia nimis exilia, non multum distantia, essent unita.

Tertia vero via esset satis communis regularisque adhibita vivaci diligentia, quatenus unius ecclesiae abundantia alterius suppleat inopiam.

Articulus 16: Pro pace inter regna Christiana reformanda.

Petimus, ergo, quatenus de cetero quilibet futurus summus pontifex, commissis causis et negotiis minoribus, quae ante haec tempora solebant in sua curia ventilari, inferioribus praelatis et iudicibus per singulas provincias, praecipue, primo, principaliter et maxime studeat, insistat, efficaciterque laboret pro stabilienda pace inter regna Christiana.

Quod autem haec in facto fieri debeant satis evidet ex scriptura.

Quoad primum certe quod petitur facit historia Exodi 28. de consilio Iethro, quo consuluit ipse Moysi. Videns enim Iethro ipsum Moysen nimium in causis minoribus occupatum, dicit ipsi per hunc modum: Multo labore consumeris tu et populus qui tecum est, ultra vires tuas est negotium, et solus non poteris sustinere. Et sequitur: Provide autem de plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderunt avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, ipsi referent ad te, et ipsi minora tantum iudicent. Leviusque sit tibi partito in alios onere. Si haec feceris, implebis imperium Domini, et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis Moyses fecit omnia, quae illi suggesserat. Haec ibi.

Et quoad secundum, quod principaliter postulatur, facit, quod Christus in tempore summae pacis nasci voluit, qui per prophetas princeps pacis praedicatur, et in cuius ortu erat pax per angelos solemniter proclamata, qui etiam imminente sua passione pacem discipulis commendavit, quam resurgens confirmavit, ipsamque omni loco in primis insinuari mandavit. Unde et Deus pacis, tanquam singulari cognomine se voluit appellari, et pacificos universaliter suos filios nominavit.

Apostoli quoque in omnibus suis epistolis a vocabulo pacis inchoant et in eodem finem faciunt.

Cum igitur dicitur: Nihil difficile volenti, patet, quod in Domino speranti et non quae sua sunt quaerenti, erit nedum facile quod praemittitur, imo delectabile. Teste etiam beato Augustino, 19. de civitate Dei, capitulo 12, ubi sic: Tantum est enim pacis bonum ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo posset melius inveniri. [col. 1170-1].

Et moverent insuper ad hoc consideratio et timor periculorum, quae ex perturbatione pacis inter regna contigerunt. Legimus namque in chronico Romanorum pontificum quod, cum Ludovicus cum Lothario filio suo imperavit duobus fratribus contra tertium de imperio contententibus et in pago Altisiodorensi acies simul construentibus, nunquam a retroactis temporibus tanta caedes facta est in gente Francorum. Unde et de hoc fama in Africam prodeunte, Saraceni inde animati venientes in territorium Italiae ecclesias beatorum apostolorum Petri et Pauli cum omnibus Romanorum finibus funditus dilapidaverunt ac exinde versus propria remearunt.

Modo vero nostris temporibus occasio schismatis et fomentum erat discordia inter regna. Quod profecto exinde patuit quod regna inter se prius divisa, partibus a se invicem divisis et inter se de papatu contententibus, se pariformiter coniunxerunt. Quae quidem discordia si inter regna non processisset, a verisimili schisma non tam leviter inchoatum fuisset nec tam diu durasset.

Quapropter summus pontifex maxime inter omnes Christianos debet circa pacem invigilare, nedum devota oracione, verum etiam assidua praedicatione, non solum in persona propria, se more Petri, Clementis et Gregorii, praedicatores ad diversas provincias destinare, quatenus sincera praedicatione per orbem terrarum praemissa, evellantur concupiscentiae carnales quae, teste Iacobo, sunt bellorum incentiva. Unde, inquit, bella et unde lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis quae militant in membris vestris?

Inter omnia autem debet attendere ne contemplatione honoris proprii schisma vel scandalum in ecclesia oriatur. Quod bene notavit Augustinus super Psalmo 71. exponens istum versum: Suscipiant montes pacem populo, sub his verbis: Excellentes quippe in ecclesia paci debent vigilantia intentione consulere ne propter suos honores superbe agendo schismata faciant, unitatis compage dirupta. Haec ille.

Unitas ergo est a qua inchoavimus, unitas est quam intendimus, quam nobis concedat qui vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit tractatus qui intitulatur Petitiones Richardi quoad reformationem ecclesiae militantis, editus Oxoniae a magistro Richardo Ullerston, doctore in theologia, anno Domini 1417.